A. L. W. Richter

DONATI COMMENTARII QUEM USUM HABEANT AD ILLUSTRANDAM SINGULARUM TERENTII VOCUM CORRUPTELAM.

DISSERTATIO

SCRIPSIT

ET

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE OPTINENDORUM CAUSSA

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIV. MENSIS JANUARII A. MDCCCLIV.

PUBLICE DEFENDET

Alexander Richter

RHENANUS.

Ludwig Wilhelm

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

GUILELMUS WIEL, phil. doct.
EDUARDUS GOEBEL, sem. phil. sod. ord.
MATHIAS SCHIEFFER, phil. stud.

BONNAE.

TYPIS C. KRÜGER.

MDCCCLIV.

VIRO REVERENDO

GUILELMO BLUMIO

ECCLESIAE CATHEDRALIS BRANDENBURGENSIS CANONICO
GYMNASII VESALIENSIS DIRECTORI

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

GRATI ANIMI SIGNUM

ESTARE VOLUIT

SCRIPTOR.

Terentianas fabulas, quales nunc in editionibus feruntur longe abesse constat ab ea integritate, ad quam religiosa librorum manuscriptorum comparatione revocari possunt. Multae enim maculae, quas Calliopii recensione conceperunt, quomodo Bembini ope eluendae sint, plus semel significatum est a Friderico Ritschelio V. Cl. Sed in Bembino etiam correctricis manus operam eamque ex antiquiore aetate repetendam, quam qua ille liber scriptus sit, consumtam esse idem Ritschelius auctor est in Proleg. pag. 121. Facile igitur, qui Terentium tractans in corruptis dubiisque locis haeret, animum ad Donati commentarios convertet, quippe cui libri nostris multo antiquiores praesto fuerint. Hi ipsi autem commentarii, quam misera condicione iaceant, quot quantisque vitiis et interpolationibus depravati sint, primus monuit et luculentis exemplis comprobavit Schopenus V. Cl. in eleganti dissertatione „De Terentio et Donato eius interprete." Quodsi eo fructu, qui ex integriore scholiorum condicione redundaturus esset, in praesens destituti sumus, tamen etiam ut nunc sunt ad varia corruptelae genera investiganda haud mediocrem utilitatem habent. Cum enim et omissorum in aliquot Donati libris versuum documenta sint Ad. III, 5, 1—6; IV, 3, 10—13; IV, 5, 72, et colloquentium actorum sermones

in aliis libris aliter discretos fuisse ex annotationibus appareat quae adscriptae leguntur in And. IV. 2, 20; V, 4, 26; Eun. IV, 4, 42; IV. 7, 16; Ad. III, 2, 25; IV, 1, 16; IV, 7, 9; tum singularum maxime vocum corruptelam late patuisse ex Donati commentariis intelligitur. Atque in hoc corruptelae genere dissertationem meam versari volo, sic quidem, ut in priore eius parte omnia exempla, quae utpote a Donato dedita opera adscripta, ad prima post Christum saecula manifesto recedunt, uno conspectu proponam; in altera afferam exempla locorum, quos inter Donati tempus et vetustissimorum nostrorum codicum aetatem simili ratione depravatos esse eiusdem Donati commentarii indicio sunt. Simul duo corruptelae genera, quorum alterum vocabulorum transpositione, alterum vocabulis exstrinsecus intrusis continetur, post Donatum viguisse demonstrabo. His subiiciam quattuor versus quorum quae vulgo fertur scriptura a Bentleio nimis temerarie tentatam esse eosdem commentarios antestabor.

Pars prior.

Late patuisse ante Donatum, quod singularum vocum depravatione continetur corruptelae genus, exemplis circiter septuaginta dedita opera ab eo adscriptis comprobatur. Quod tamen his finibus circumscribendum non esse cum aliorum tum Festi testimonio evincitur, qui s. v. *affatim* habet haec: *Terentius affatim dixit pro eo quod est ad lassitudinem.* Quam vocem utrum Bentleius ex Hec. II, 1 v. 41 expulsam esse suo iure contendat necne, investigare nolo, sed quod neque in fabulis neque in Donati commentariis hodie reperitur, sat grave documentum est, vetustum vocabulum interpretamento ex sede motum et postea pessum datum esse. Quid autem impedit, quominus huius similia ex eorum praesertim numero prorsus evanuisse opinemur, quae antiquissimo tempore mutata quarto p. Chr. saeculo in ipsis fabulis erant oblitterata? Qualia in scripturis a Donato enotatis residua esse ex eius loquendi ratione haud fallaci coniectura assequi licet.

Etenim Donatus varias scripturas commemorans plerumque *legitur et* dictis utitur, raro aliis, sed quae eodem redeunt locutionibus, veluti his: And. I. 2, 34. *Vera lectio est: Neque tu haud dices; quod plurimi non intelligentes, neque tu hoc dicas legunt.* Eiusdem fabulae III. 4, 20. *Eadem: In aliis itidem scriptum est; quod si est, pro* idem *accipiamus.* Eun. II. 3, 15. Hem. *Si cum h Parmeno, si leniter Chaerea; ibid. „Qui vir sies" in veteribus invenitur.* Cf. ibid. 20, 23. Hec. I. 1, 1.

Alterutram scripturarum quae hoc modo exhibentur in poetae verbis fuisse nemo negabit. Idem autem vereor ut dicendum sit de eis, quae annotata legimus in And. prol. 1. *Pro appulit in secunda lectione attulit fuit.* And. I. 5, 1. *Factum aut inceptum: in aliis factu aut inceptu fuit.* Ph. I, 4, 31. *Protinus; Protinam fuit.* Nobis quidem ad linguae normam exigentibus utriusque vocis vim, inter *legitur et* atque *fuit* id interesse videtur, ut altera inservierit notandis discrepantiis, quae in parte Donati librorum etiamtum ferebantur, altera eis, quarum notitiam, cum in ipsis fabulis intermortuae essent, ex alio quodam fonte de quo postea videndum erit percepit scholiastes.

Egregie ad eam rem illustrandam facit Donati in Phor. I. 4, 13.

Aliquid convasassem atque hinc me protinus conicerem in pedes[1])

annotatio: *Protinus:* Protinam *fuit, et sic Nigidius legit.*

Ambigi potest, utrum Nigidius proprium commentum poetae obtrudere, an eiecto aliorum commento germanam Terentii vocem auctori vindicare voluerit. Et huc sane noster animus inclinat. *Protinam* vetustiorem quam *pro-*

---

1) Sic disposui verba, invitis libris mscr. „*conicerem protinus*" exhibentibus. *Protinus* enim formam a Nigidio Figulo in Terentii exemplaribus inventam esse, manifestum est. Licet autem Priscianus narret: Fuisse quosdam, qui abnegarent, ulla esse in Terentii comoediis metra, tamen Nigidii Figuli, Cicerone natu paullo minoris, aequales Terentiana metra ita calluisse sat certum est, ut paeonem in sexta vel in ulla alia sede non tulerint. Praeterea Festus s. v. *protinam* hunc versum citans: *protinam conicerem* verborum col-collocationem habet. Porro *protinus* servavi, non quia id rectum esse puto, sed ut Donati verborum vis melius perspiciatur.

inus formam a Cicerone et qui post eum scripserunt spretam esse constat. Apud Terentium neutra amplius reperitur. Plautus saepius quidem *protinam* utitur, a *protinus* non prorsus abhorruit. (Cf. Pseud. II. 1, 13.)

Qua igitur de causa Nigidium hoc loco *protinam* amplexum esse dicamus? Quiane numeris consulendum erat, qui nostris libris sane sunt vitiosi? At Nigidii aequales metrorum adeo imperiti habendi non sunt, ut turpia menda, quale est „cónice|*rém protinus* | in pe|dés“ a Terentio profecta esse unquam putarint. Immo si *conicerem protinus* verborum collocationem in Nigidii exemplaribus tam certam fuisse constaret, quam Festi testimonio incerta redditur, non docto grammatico opus fuit, qui *protinam* scribendo versum sanaret. Num igitur haec forma utpote prisca Terentio dignior videbatur Nigidio? Sed vetustatis causa *protinam* Terentio vindicandum non erat, quoniam ante eum Plautus p r o t i n u s iam usurpaverat. Quod tamen Nigidium in grammaticis quaestionibus nimia subtilitate abductum in errorem nonnunquam incidisse dicat aliquis, (cf. Bernhardy, Grundriss der Röm. Litteratur, pag. 661.) id vereor, ut in nostrum locum quadret. Nam alii quoque docto antiquitatis investigatori *protinam* probatum fuisse apparet ex Festi verbis: ***Protinus, protinam. Terentius: Protinam coniciam me in pedes.*** Cum enim aliorum recentiorum grammaticorum testimonia non tam ex ipsorum lectione quam ex genuinis fontibus antiquae doctrinae fluxisse scimus, tum Festum ex Verrio Flacco, diligenti doctoque antiquitatis investigatore totum pendere constat. Licet igitur nota illa Festi sit, tamen exploratio veri ad Verrium recedit, quem temere arrepsisse quod antiquitatis speciem mentiebatur tantum difficile est quod tibi persuadeas. Nam Augusti saltem aetate omnes, qui in eo elaboraverunt ut priscas voces indagarent auctoribusque restituerent, aut

ipsos dedita opera in eas inquisivisse aut prioris saeculi aequaliumve studia non sine religiosa examinatione sua fecisse probabile est. Quodsi Verrium, ex cuius scriptis quae Festus excerpsit *Priscorum verborum cum exemplis libros*[1]) inscripsit, hunc Terentii locum nulla alia de causa citasse obvium est, quam quod vetustam verbi formam ibi nactus sit, certa ipsique probabili ratione eam niti nihil est cur non putemus.

Quaerendum igitur est, unde sit „*protinam*" forma duobus illa veteribus iisque doctissimis grammaticis probata invitis nostris, Donati, omnibus denique ut videtur libris, qui Nigidii aetate vulgo lectitabantur? Ex libro illis exemplaribus vetustiore eam fluxisse puto. Quid enim? Veterum auctorum exemplaria etiam Ciceronis aetate mendosa fuisse constat.[2]) Neque Terentii fabulae inde excipiendae, in quibus quam proclives fuerint docti atque indocti ad vetusta oblitteranda, infra apparebit. (Cf. pag. 10 sqq.) Quidni igitur *protinam* a Nigidio ex integriore exemplari in lucem protractum et in commentariis grammaticis, quos uberrimos scripsit, Terentio sit vindicatum? Verrius autem, etsi multum abest, ut eum propriis studiis eademque via qua Nigidius ad verum pervenire potuisse negem, tamen haud scio an potius in legendis docti illius grammatici commentariis ad hanc vocem animum attenderit, eiusque fide denuo examinata et comprobata, eam ita demum inter exempla sua receperit.

Quae si recte disputata sunt, loci nostri corruptelam admodum vetustam esse liquet. Quod autem Nigidii Verriique auctoritas non tantum valuit, ut qui post eos Terentianas fabulas transscribendas curabant poetae suum

1) Cf. Festum s. v. porriciam.

2) Cf. Bernhardy l. c. pag. 63.

reddiderint, id noli mirari. Sive enim inscitia sive negligentia peccavisse dicas, qui ante Donatum edendi Terentii curas sibi imposuerunt, humani quid eis accidit, quemadmodum nostra aetate eis, qui in Terentii editionibus, quas post Bentleii curas in lucem emiserunt, vitiosa tenere quam certissimas emendationes amplecti maluerunt.

Ceterum *protinus*, quam vocem nostri codices praebent, in omnibus quae primis post Christum saeculis lectitabantur exemplaribus fuisse veterum testimoniis palam fit. De Donati libris hoc confidenter praedico. Nam *fuit* verbi, quod in eius annatatione legitur, qui recte rationem habet, dubitare non poterit quin is, qui eo usus est, sententiam exprimere voluerit hanc: *Protinus in omnibus libris est, sed protinam f u i t, et sic Nigidius legit.* Cousulto dixi: Is qui eo verbo usus est. Nam notulam illam sic ut nos eam legimus a Donato adscriptam esse non nego, sed ea verba ab eodem primo in lucem edita esse haud ita facile admiserim. Nam ut Nigidii aliorumque libros in quibus Terentiani loci passim tractabantur quarto p. Christum saeculo superstites fuisse concedamus, tamen in Donati commentariis proprii veterum fontium studii tam pauca exstant vestigia veterumque grammaticorum tam raro fit mentio, ut omnia eorum opera ab interprete inspecta et quae ad Terentium pertinebant inde in commentarios recepta esse incredibile sit. Iam vero Schopenus (pag. 47 et 48) exemplaria a Donato adhibita variis iisque e summa antiquitate repetitis notis instructa fuisse ostendit. Similiter Ritschelius (De Plaut. Didasc. in Parergis pag. 326). Ihnio obsecundandum esse suadet, qui in „Quaestionibus Terentianis“ (Bonnae 1843 pag. 13.) Graecas fabulas ab ipso Donato nunquam inspectas et mutila Menandri Apollodorique fragmenta, quae in eius notis hic illic feruntur, ex vetustioribus commentariis flu-

xisse monet. Quodsi Donatus haec et multa alia, quae Schopenus designat, non propriae antiquorum fontium lectioni sed veterum doctorum notulis debebat: nostram quoque notulam in eorum potius numero habendam esse censeo, quae a nescio quibus viris doctis prodita Donatus haud indigna duxit, quae commentariis suis traderet. Quicunque autem notae auctor fuit, Nigidii commentarios ad manus habuisse et propterea quod protinus in fafabula solum invenit, vetustioris a Nigidio servatae formae eisdem quae nunc apud Donatum leguntur verbis mentionem fecisse iudicandus est. Sive igitur multum sive non multum aetate antecessit Donato, ipsius tempore de *protinam* in fabula actum fuisse sat certum est.

Sed aliud argumentum accedit, quo huius vocis in vetustis exemplaribus eandem condicionem fuisse non mediocriter confirmatur. Charisius: pag. 188: „*Protinus*" inquit *futuri significationem capit: Terentius Phormione:*

Aliquid convasassem atque hinc me conicerem *protinus* in pedes

Nonius s. v. conclamare: *Convasare dicitur, furto omnia colligere: Ter. Phorm.*

Aliquid convasassem atque hinc me ego coniciam *protinus* in pedes.

Nempe alter de huius tantum vocabuli, alter nonnisi de *convasandi* vi sollicitus, posuerunt *protinus* quod libri ab ipsis inspecti solum suppeditabant.

Diligentius in hunc locum inquisivimus, non qui priscam vocabuli formam a nostratium pravo iudicio tutam praestaremus, (nam de *protinam* fide apud Bentleium, Hermannum, el. doct. metr. pag. 173, editoresque Charisii Festi Nonii satis constat), sed qui hanc scripturam a Donato commemoratam tum temporis in ipsa fabula omnino

periisse eiusdemque notitiam annotatione a sedulo interprete profecta usque ad Donati aetatem propagatam esse comprobaremus. Quae si recte disputata sunt, monuisse sufficiat, Andriae I. 5, 1 *factu aut inceptu* voces quas pro *factum aut inceptum* in aliis *fuisse* monet Donatus, Bentleius autem quomodo lucro sint apponendae, luculenter exponit, item in omnibus Donati exemplaribus fuisse exstinctas, etiamsi complurium exemplarium auctoritate eas olim firmatas fuisse ex adiecto *in aliis* apparet.

Reliquus est qui ad quaestionem dirimendam non potest non magni momenti esse Andr. prol. versus 1.

Poeta cum primum animum ad scribendum *appulit.* ad quem Donatus: „*Pro appulit,*" inquit „*in secunda lectione attulit fuit; sed appulit magis est Terentianum;*[1]) *nam postea sic: Animum ad uxorem appulit.* (II. 6, 15.)

Gratum nobis fecit interpres in commentariorum exordio brevitati non nimis consulens adiectis *in secunda lectione* dictis. Nam cum in *secunda lectione fuit* tantundem valeat, quod *legebatur et* locutio, Donatum inter hanc et sexaginta scripturas in quibus enotandis *legitur et* utitur distinxisse obvium est. Quam distinctionem si quis cum aliqua probabilitatis specie alio pertinere posse probaverit, atque ad secernendam exstinctam scripturam ab eis, quae in poetae fabulis promiscue legebantur, de sententia quam de superiorum scholiorum *fuit* vocis vi protuli libenter cedam; sin minus, sola hac voce idem quod plena *in secunda lectione fuit* locutione a Donato designatum esse mordicus tenebo.

Superest, ut de utriusque scripturae origine et fide quid videatur dicam. Ac primum quidem ANIMUMAPPU-

---

1) Sic exhibeo verba a Schopeno pag. 41 emendata.

LIT et ANIMUMATTULIT litterarum ductus tam parum inter se differunt, ut discrepantiam ad librariorum errorem recidere in promtu sit putare. Sed variae scripturae a Donato servatae tantum non omnes male sedulum correctorem sapiunt. Quare simili studio Terentii elegantiam hoc quoque loco pessum datam esse pro certo habeo. Quid autem poetae, quidve correctoris sit, haud difficile est diiudicatu. Nimirum friget alterum si contuleris cum *animum ad scribendum appulit* scripturae vi et virtute, qua poeta se aliquamdiu incertum consilii animoque fluctuantem ad opus accessisse indicat, de quo populus iamiam sit iudicaturus. Quod Terentio qua est dicendi proprietate, unice convenit. *Attulit* autem scioli alicuius commentum est, quod olim in Terentianorum librorum partem propagatum veteres critici subditicium esse perspexerunt et tam acriter insectati sunt, ut iam Donati aetate e fabula evanidum esset.

His tribus exceptis, omnes reliquae scripturae de quibus a Donato certiores fimus ita comparatae sunt, ut librorum pars ex binis alterutram etiamtum praebuerit. Quas per varia genera, quantum fieri potest, ita dispositas exhibebo, ut primum locum obtineant, quarum notitiam soli Donato debemus; his subiiciantur, quae in nostros codices propagatae ante Donatum in fabulas irrepserunt. — Quomodo autem singulae scripturae invicem sibi respondeant, quidque de iis sentiam, ex conspectu cognoscere licet, quem infra posui.

Male nostri quosque Donatus sequitur libri exhibent:	Terentio vindicandae sunt quas Donatus pro variis scripturis affert:
Andr. IV. 1, 32. hae nuptiae.	haec nuptiae[1]).

1) Donatus: Legitur et *haec* nuptiae; sic enim veteres dixerunt.

Hec. I, 2, 19 illic	illi[1]).
Ph. II, 2, 16 tenditur	tennitur.[2])
	item vetustae elocutiones:
Hec. III, 1, 33 conciverit	concivisse.[3])
Ph. II, 1, 17 anteeam	anteeo.[4])
Phor. III, 1, 5 ne quid pateretur mali —	n. q. potiretur mali.[5])
Suo iure Donatus sprevit quod tum temporis multi, nostri libri omnes exhibent:	Terentii est:
And. I, 2, 34 neque tu hoc dicas	neque tu haud dicas.[6])

1) Versus est:

Nam *illic* haud licebat nisi praefinito loqui.

Don.: Legitur et *illi*, ut sit circumflexus accentus et significet *illic*, ut: Illi mea tristia fata (Virg. Aen. II. 548.)

2) Legitur et *tennitur:* habet enim *n* littera cum *d* communionem.

3) Lemmatum ordo sic videtur instituendus: Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit: Legitur et *concivisse:* Sic Plautus: Fortasse te amare suspicabere. Nam veteres infinitivo modo adiungebant fortasse.

Egregie Bentleius scribendo: *Fortasse tete amare suspicarier* emendavit Plautina verba, Terentiana autem adiecto *ere* vocativo quo versus prodit:

Fortásse unum aliquod vérbum inter eas íram hanc concivisse ere.

4) Versus est:

O Pháedria incredíbilest, quantum herum ánteeam sapiéntia.

Donatus: Legitur et: *anteeo*, sed pro coniunctivo pronuntiandum *anteeo* pro *anteeam*. Nugas has esse, Bentleius exponit, qui reponendo:

O Pháedria incredíbile quantum erum ánteeo sapiéntia

et versum sanavit et quid de mutationis origine statuendum sit indicat.

5) Don.: Legitur et: *potiretur*, quia potiri *τῶν μέσων* fuit. Plautus: *Hostium potitus est.*

6) Don.: Duae negativae faciunt unam consentivam: tres nega-

Donatus male sequitur:	Item Terentio adiudico locutiones, quas a Donato pro variis scripturis commemoratas in earum quas iuxta posui locum substitutas esse difficilius admittendum esse censeo, quam contrariam rationem:
And. I, 1. 128 nolit	nolet
„ I, 1, 140 qui mi exorandus est	quoi mi expurgandus est.[1]
„ I, 5, 52 inutiles	utiles
„ I, 5, 54 ingenium	genium
„ II, 1, 7 ex animo amoveas tuo	ex corde eiicias
„ IV, 1, 22 qui	cum.[2]
„ IV, 1, 26 confecit sollicitudines	conflavit sollicitudines
„ V, 1, 6 cupis	iubes

tivae pro una negativa accipiuntur, ut hic: *neque haud non.* Sallustius: *Haud impigre neque inultus occiditur.* Vera ergo lectio est: *neque tu haud dicas,* quod plurimi non intelligentes: *hoc dicas* legunt. Huc accedunt alius scholiastae verba: Vera lectio: *Neque tu haud dicas;* est enim quintum παρέλκον. Plautus in Bacchidibus: *Neque haud subditiva gloria oppidum abitror.* (Verba in Plautina fabula hodie non comparent.)

1) Versum cum antecedentibus adscribam:

Sed qúid opus verbis? Sín eveniat quód volo,
In Pámphilo ut nil sit morae, restát Chremes
Qui mi éxorandns ést, et spero cónfore.

Don.: Legitur et *expurgandus.* Si *expurgandus,* lege *cui* non *qui;* quia *cui* per *q* veteres scripsere (cf. Don. in Ad. III, 3, 69 notam.)

2) Versus est:

Heú me miserum qui tuum animum ex ánimo spectavi meo.

Eun. II, 1, 13 adigent insomnia.	adiget insomnia.[1])
Eun. II, 3, 3 quam insistam viam	qua insistam via
Ad. I, 2, 72 deferuisse adulescentiam	desaevisse adulescentiam
Hec. III, 3, 46 bona	data.[2])
„ III, 5, 7 quod maximumst	quod maximest
„ V, 4, 19 voluptati	voluntati
Phorm. prol. 6 scripsit	fecit
Male libri, unde Donatus hausit, quos pro variis scripturis affert praebent:	Terentii sunt, quae nostri quosque Donatus sequitur libri exhibent:
And. I, 5, 55 sollicitudinem	solitudinem
„ II, 2, 7 abeo	habeo.[3])
„ IV, 1, 29 altercatus es	altercasti.[4])
Eun. II, 3, 16 si vir sies	qui vir sies.[5])
„ II. 3, 23 habilior	habitior.[6])
Ad. II, 1, 13 nihili facis	nihil facis.[7])

---

1) Don.: Legitur et: *adiget* ut sit insomnia numeri singularis.

2) Versus est:

Lácrumo quae posthác futurast víta, quúm in mentém venit.
Sólitudoque. Ó fortuna ut núnquam perpetuo és *bona*.

Don.: Hic fortunam pro *bona* posuit. Legitur et *data*, nam et sic pro *bona* intelligetur necessario.

3) Don.: Per *h* inveni. Legitur et *abeo*, uti merito illi dicatur: *resiste*.

4) Don.: Legitur et: *altercatus es*; non enim *alterco* dicimus.

5) Don.: Non: *Si vir sies*, sed *qui vir sies*, quod est ἐμφατικω-τερόν. . . . . *Qui vir sies* in veteribus invenitur.

6) Versus est:

Si qua ést habitior páullo pugilem esse áiunt deducúnt cibum.

Don.: Si qua est habitior: Inde et *habitudo* dicitur, ut: *Quae habitudo est corporis?* (Eun. II, 2, 11.) Nam *habilior* aptior intelligitur, ut:

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum.

Ergo *habitior* legendum est.

7) Don.: Ceterum hoc nihil facis. *Nihil* pro *non*. Legitur et *nihil*.

Ad. II, 2, 7 sed scis quid loquar	age scis quid loquar
„ II, 2, 21 empta	emptae
Hec. III, 3, 48 eidem	idem
„ IV, 4, 49 ipsa	ipse.[1])
Ph. V, 1, 34 haec	hic.[2])

Nimio doctorum grammaticorum studio, quibus Terentius in vertendis graecis exemplaribus singula non sat accurate reddidisse videbatur, poetae obtrusum est, quod in parte Donati librorum male legebatur *audiam* et *paucis*. En tibi locos:

	Terentii est:
And. III, 4, 13 audiam	audio.[3])
Hec. I, 1, 1 paucis	paucos.[4])

---

1) Don.: Quem ipse neglexit pater ego alam: Si *ipse* legeris, clare dictum est; si ipsa lenius est. .... [Legitur et: *ipsa*: et hoc est melius, ut sit *pater* vocativus casus.]

2) Versus, quem Bentleius immerito sollicitat hic est:

Sine nóstra cura; maxima sua cura haec sóla fecit.

Don.: Si *hic* legerimus, Antiphonem intelligimus; si *haec*: Sophronam.

3) Don.: Quidnam audio? Legitur et *audiam*, Menander enim sic ait: *Τί δή ποτ᾽ ἀκούσω.*

4) Versus sunt:

Philotis: Per pól quam paucos réperias meretrícibus
Fidéles eveníre amatorés, Syra.

Don.: Quidam non *paucos* sed *paucis* legunt; sic enim Apollodorus:

Ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον᾽ ἑταίραισι Σύρα
Βέβαιος.

Sic exhibeo verba, a Bentleio „sententiae iudicio et versus ratione" correcta. *Evenisse* quod pro *evenire* Bentleius propter Apollodori *γέγονε* scripsit simile atque veterum grammaticorum corrigendi studium sapit.

	Librariorum neglegentia in Donati exemplaria irrepserunt:
Andr. I, 2, 31 nil circumitione usus es	n. c. user es
Ad. II, 1, 45 totidem emptam	tantidem emptam
Phorm. I, 3, 2 venit	advenit
Perperam libri quos Donatus sequitur:	Recte nostri et ei libri, unde Donatus hausit, quas pro variis scripturis affert:
And. III, 4, 20 eadem [1])	itidem
Ad. prol. 16 adiuvare	adiutare
Ad. V, 3, 51 subvortit. [2])	subvortat
Male nostri et ei libri unde Donatus hausit, quam pro varia scriptura affert:	Terentii est, quod Donatus sequitur:
And. I, 1, 43 Ex Andro commigravit *huic* viciniae	E. A. c. *huc* viciniae.

Ne *am* syllabam ter repetitam habeamus in And. III, 5, 9 fine: *Aliquam producám morám*, Terentii esse dixerim *productem* quod Donatus ex parte librorum in lucem protraxit.

Incertus, quid Terentio, quidve interpolatori dandum

1) Versus est:

Simo: Ibo àd eum atque eadem haec, quáe tibi dixi, dícam [itidem illi. Davos: Núllus sum.

Don.: In aliis *itidem* scriptum est, quod si est pro *item* accipiamus.

2) Versus est: Né nimiúm modo

Bonáe tuae istae nós rationes Mício

Et túus iste animus aéquos subvertát. Mic. Tace

Don.: Si *ne valde, subvortit* infra legendum est. Si *ne* pro *non* coniunctio est, *subvortat* legendum est, ita ut subaudiamus timeo, vel aliquid tale.

sit, haesi in scripturis a Donato iuxta vulgatas servatis hisce:

And. prol 8 animum attendite	pro	animum advertite
And. I, 1, 13 multo	„	muto
And. IV, 1. 47 adoriemur	„	aggrediemur

quarum *advertite muto aggrediemur* nostri et quos Donatus sequitur libri exhibent. Item in:

And. III, 2, 9 natum pro ortum,

ortum voce quam omnes nostri libri exhibent apud Donatum variae scripturae vicem sustinente. Item in:

Andr. III, 3, 6 Chremes	Chreme
„ III, 1, 1 dixti	dixisti
Eun. II, 2, 36 Thaidis	Thais
Ph. IV, 3, 75 Lemni	Lemno

libris nostris tutantibus *Chreme, dixti, Thaidis* et *Lemni* formas, cum *Chremes, dixisti, Thais, Lemno* a Donato in lemmate positae sint.

Versus gratia reiectanea est quae pro varia scriptura in commentariis prodita est *induxisti* forma And. III, 3, 40.

Supervacaneum est nostrorum librorum *eam* Ad. IV, 4, 10 [1]) quod a Donati exemplaribus abfuit.

Versus gratia retinendum est, quod in quibusdam libris omnino non fuisse monet Donatus Eun.: II, 3, 20 *sive.*

Numeris ut consuleretur, And. III, 3, 4:

Ausculta paucis; et quid ego te velim, et tu quod [quaeris scies

paucis in *pauca* mutatum esse Priscianus disertis

1) Versus est:

Nám ut hinc fórte ea ad óbstetricem erat missa ubi *eam* [vidi ilico

Don.: Sunt qui addant supervacue *hanc* et legunt: *hanc ubi vidi.*

verbis narrat, (cf. Bentl ad loc; Prisc. II, pg. 177 et pag. 214 ed. Krehlii) quamquam de *veteribus* libris, unde *pauca* fluxisse monet pag. 214: *Sic enim habent antiqui codices teste Donato commentatore eius,* hodie apud Donatum nihil legitur. — Retinendi „*paucis*" et simul sanandi versus rationem exhibet Bentleius scribendo:

Ascúlta paucis ét quid te ego velim ét quod tu quaerís scies

quorum aegre fero me non consentire in distinguendis verbis. *Ausculta* quidem nude positum nihil offensionis habet, (cf. And. IV, 4, 45; Eun.: I, 2, 20; Heaut. IV, 5, 23; Ad. I, 2, 33.) sed *paucis aliquid scire* locutionis gemellum exemplum frustra quaesivi. At *ausculta paucis* habes Ad. V, 3, 20:

Micio: *Auscúlta paucis,* nisi molestumst Démea

similiter *audi paucis* Hec.: III, 5, 60:

Laches: Phidippe, ades: *audi paúcis!* abiit. Quíd mea?

et *audite paucis* Eun.: V, 8, 37:

Gnatho: Príús *audite páucis,* quod cum díxero, si plácuerit;

quare nostro quoque loco post *paucis* distinguendum erit.

Vetustam corruptelam attestantur, sed nullius, si quid video, ad emendationem usus sunt, quae Hec. V, I, versus noni:

Ne *nomen mihi quaestus obtset,* nam mores facile tutor;

interpretationem excipiunt Donati verba: Legitur et: *Nomen meo quaestui obstet* (vel *nomen meum quaestui obstet,* ut Klozius habet.) Neque vero Faernus, qui adscita Bembini *quaesti* forma atque *obstet* vocabulo mutato in *obsiet* tetrametri iambici catalectici numeros revocavit hos:

Ne nómen mihi quaesti óbsiet nam móres facile tutor;

neque Bentleius numeros etiam elegantiores reddens hoc modo:

Ne nómen quaesti me óbsiet; nam móres facile tútor;

scholiastae verba flocci fecerunt. Quae autem, revocato propter codicum *quaesti* et *quaestus* formas *quaestuis* genitivo (coll. Heaut. II, 3, 46 *anuis*) atque mutato inter se *quaestuis* et *obstet* vocabulorum ordine tentari possit emendatio haec:

Ne nómen mi obstet quaéstuis, nam móres facile tútor;
haud maiorem a Donati quam a nostrorum librorum vestigiis commendationem habet.

Ultra orthographici generis fines consolitam in *hem em en* scribendi discrepantiam evagari monet Ritschelius proleg: pag. 98. In dirimenda quaestione, quae uniuscuiusque harum vocum sit propria vis, pro certo habeo eum, penes quem harum rerum est iudicium, haud infimum locum assignaturum esse Donati annotationi, unde inter *hem* et *em* a veteribus distinctum fuisse apparet. Adscripta est Eun.: II, 3, 16 quem cum antecedentibus infra posui:

Parm. Únde is? Chaer. Egone? Néscio hercle neque
únde eam neque quórsum eam,
Ita prórsum oblitus súm mei.
Par. Qui quáeso? Ch.: Amo Par. Hem. Ch. Nunc Pármeno te osténderis [1]) qui vir sies.

Donatus: *Hem:* si cum *h* Parmeno; si leniter Chaerea.

Hactenus de scripturis, quae in Donati commentariis solum superstites sunt. His aetate non cedunt, quae item a Donato memoratae in nostrorum librorum partem migraverunt. En tibi exempla:

Praeter Bembinum nostri quosque Donatus sequitur libri exhibent:	Terentii sunt scripturae in Bembino superstites et a Donato pro variis commemoratae:

1) *Ostenderis* Bentleii emendationem pro *ostende sis* amplector.

And. II, 2, 11 et id scio.	et si scio
Ad IV, 3, 16 negligi	claudier
Hec. II, 2, 4 ex hoc[1])	hinc
Ph. I, 2, 38 ei loco[2])	ilico
Ph. II, 1, 2 age mitto	ac mitto

Abfuit a nostris quosque Donatus sequitur libris manus, quae male mutavit Terentii:

And. IV, 4, 6. Quid illic hominum litigant, in: Q. i. h. litigat. Eun. V. 6, 21. Uterque exempla in te edent.[3]) U. e. i. te edet.

Tertium huiusmodi corruptelae exemplum:

And. IV, 1, 3 et 4 gaudeant, comparent — pro gaudeat, comparet

in omnes nostres libros praeter Vaticanum et Basilicanum irrepsit.

Caussa cur Eun. II, 3, 19 inter *penum omnem* (quod in Bembino et Vaticano etiamnunc exstat, et *penum omne* fluctuabantur Donati libri ex ipsius nota[4]) cognoscitur.

Suo iure Donatus amplexus est, quod Bembinus et Victorianus etiamnunc tuentur:

Hec. I, 2, 99 relinquit pro reliquit.

ib. IV, 4, 43 remissan, reductan pro remissam, reductam.

Versus gratia reiectaneum est, quod a Donato pro varia scriptura commemoratum hodie in Bembino est:

---

1) Don.: *Ex hoc:* legitur et *hinc* locale adverbium.

2) Don.: *Exadvorsum ei loco:* legitur et *ilico.* Et annotatur ex abundanti additum, ut apud veteres multa sunt.

3) Don.: Et *edent* et *edet* legitur. Si *edent,* figuratum est; si *edet* recte.

4) Don.: Et *hoc penus* et *hic penus* et *haec penus* veteres dixerunt; ergo et *omnem* et *omne* legitur.

Eun. III, 2, 40 post pro postea.

Versus gratia adsciscendum est, quod Faerno teste in plerisque antiquis exstans a Donato pro varia scriptura commemoratur:

Eun. II, 2, 34 facit pro faciat.[1])

Prout verba iungas recte se habet:

Phor. I, 2, 21 hinc (libri et Don. pro varia script.)	hic (Bemb.)
Recte antiquissimi nostri et libri unde pro varia scriptura affert Donatus:	Male Donatus sequitur:
Hec. I, 2, 85 atque	atqui
Recte pars nostrorum librorum quod Donatus quoque praefert:	Male pars nostrorum librorum quod Donatus pro varia scriptura affert:
Ad V, 8, 26 foras	foris

Triplicis denique scripturae exemplum exstat Ad. IV, 5, 32 *qui cum illa consuevit* (Servius ad Virg. Aen. IV, 408 et omnes nostri libri praeter Bembinum); *qui illa consuevit* (Bemb. et Donatus in lemmate). *Qui illam consuevit.* (Donatus pro varia scriptura).[2])

Ex hoc scripturarum conspectu, quas Donatus dedita opera adscripsit, satis apparere arbitror, quantis qualibusque depravationibus singulae poetae voces antiquo tempore in eis exemplaribus obnoxiae fuerint, quae nostros libros aetate multum antecedunt. Cum autem pravum veterum doctorum indoctorumve hominum studium intra illos fines constitisse exemplo efficiatur, quod supra (pag. 3.) attuli,

---

1) Don.: *Quid faciat:* legitur et quid *facit,* ut sit figura per modos pro *quid faciat.*

2) Don.: Legitur et *illam;* et dicebant veteres: *hanc rem consuevit.*

tum ad eam opinionem comprobandam praesto sunt scripturae, quae singulorum versuum interpretationi praemissae discrepant ab eis, quas nostri libri exhibent. Unde missis, quae nulla nisi lemmatum dubia auctoritate nituntur ea tantum adscribam, quorum discrepantia Donati interpretatione lemmati adiecta confirmatur. Haec ipsa autem, quamquam addubitare licet utrum de iis aliquid innotuerit scholiastae, tamen huic dissertationis parti non inserere nolui, quoniam multum abest, ut omnia, quae inferioris quidem notae sed non omni probabilitate destituta in Donati libris ferebantur, in eius commentarios migrasse opiner. Exempla haec sunt:

Soli Donato debemus:	Libri exhibent:
And. II, 1, 27 potest[1])	potes
Ad II, 2, 41 reddat[2])	reddatur
ib. IV, 5, 42 ridicule[3])	ridiculum
ib. V, 1 12 potastis[4])	potasti
Hec. III, 2, 14 Philumenae[5])	Philumenam
Pars nostrorum librorum exhibet quod Donatus solum legisse videtur:	Reliqui libri:

---

1) Dog.: Sed si id non potest. Deest *fieri;* et hoc ad patrem retulit.

2) Don.: *Meum mihi reddat:* Sortem, quam solam supra recusabat.

3) Don.: *Ridicule:* Vocativus casus est ab eo, quod est *ridiculus.*

4) Don.: *Potasti scelus:* Non quod plus videt senex, quam obiicitur oculis, sed oratorie *potastis* dixit, cum unum ebrium cernat, propter illud quod ait: *Exemplum disciplinae.* Quasi in omnibus sit, quod in uno nunc adspicitur.

5) Versus est:
Nam sí remittent quíppiam Philúmenae dolores.
Don.: Nam si remittent quippiam. Verbum activum quasi neutrum posuit.

And. IV, 3, 8 memoria[1]   malitia
Eun. V, 8, 63 eloquentia[2]   elegantia

Subsistendum autem erit in his, num alias eiusmodi corruptelas post Donatum in fabulas irrepsisse pro certo habeo, quare eis locum dabo in altera ad quam nunc pergendum est dissertationis parte.

---

1) Versus est:

Davus: Mýsis nunc opus ést tua mihi ad hánc rem exprompta málitia atque astutia.

Don.: *Memoria:* ut praecepta Davi retineat: *astutia* ad agendum strenue, quae imperet. *Memoria* simpliciter magis, ut memor sit praeceptorum. Et *memoria* modo pro *intelligentia.*

2) Don.: Atticam *eloquentiam:* et hoc εἰρωνικῶς ut illa quae supra. Atticam dicit veram atque germanam, quia excultior *eloquentia* dicitur attica et summi oratores Attici appellati sunt.

Pars altera.

Multis exemplis illustrare licuit singularum vocum corruptelam ante Donatum incohatam. Continuatae post eum non ita multa sed ea certissima in scholiis latent documenta, quorum pleraque ita sunt comparata, ut nisi a Donato meliora edoceremnr, de interpolatione cogitare nefas propemodum foret. Quod ita esse, versuum quos afferam ratione habita, unusquisque haud aegre sibi persuadebit.

In omnibus libris manuscriptis, excepto Bembino [1]) Hec. I, 2, v. 31 hic vulgatur:

Ita mé Di *bene ament*, haúd propterea té rogo.

Concinne fluere sentis numeros; *ita me di bene ament* obtestandi formula commendationem habet ab Eun. V, 2, 43; Hec. II, 1, 9; Phor. I, 3, 13 — senarius denique est tam bonus et elegans ut nil supra. Atqui integritatis speciem mentitur tantum. Librarii quidem negligentia *bene* voculam e Bembino excidisse dixeris, sed germanae Terentii scripturae partem in eo servatam esse apparet ex testimonio Donati, qui *bene* illud in lemmate non habet et adscripsit: *amabunt* pro *ament*. Recte igitur Faernus expulso subditivo *bene ament* versum redintegravit:

Ita mé di *amabunt*, haúd propterea té rogo

quem satis tutatur Heaut. IV, 5, 1:

Ita mé di *amabunt* út nunc Menedemi vicem
Miseret me . . . .

---

1) Bembinus versum mutilum exhibet:

Ita me di ament haud propterea te rogo.

Illatae autem huic versui corruptelae quae [illegible] fallit rationem accipe hance. Multo rarior *ita me di amabunt* locutionis quam gemellae *ita me di ament*[1]) usus est, quare librarius nulla ratione habita numerorum, frequentiorem quae auribus non oculis obversabatur loquendi formulam facillimo errore scribere potuit. Quem procliviorem ad eam rem fuisse obvium est, si *ament* interpretandi caussa adscriptum erat.[2]) Sic quidem factum esse videtur, ut poetae *amabunt* quod Donati exemplaria solum suppeditabant, *ament* interpretamento quod Bembinus exhibet de loco motum sit. Quid autem eis, qui versum claudicare senserunt magis in promptu fuit, quam inserta *bene* vocula numeros sanare, praesertim cum plenior *ita me di bene ament* locutio passim apud Terentium reperiatur.[3]) Atque horum opera in libris Bembino posterioribus hiantem versum tam eleganter resartum vides, ut nisi Donatus germanum Terentii vocabulum servasset, Bembinum hoc quidem loco prae reliquis libris prorsus spernere, quam de illorum interpolatione cogitare satius duceres.

Depravatio huius versus eo redit, ut duae locutiones, quarum utramque exemplis ex Terentio petitis firmare licuit, sensim inter se commutatae sint. Memorabile autem vetustae formae, qua ne Plautus quidem usus est, ex Terentio exstinctae documentum est Phor. V. 8, 39:

---

1) vd. Heaut. II, 3, 67; II, 4, 3; III, 3, 8; IV, 3, 8; V, 1, 80; Hec. II, 1, 36; II, 2, 16; II, 3, 3; IV, 2, 3; IV, 4, 20; V, 4, 23.

2) Hodie quoque Heaut. III, 1, 54:

Sic mé di *amabunt*, út me tuarum miseritumst
Menedéme fortunárum.

ament interpretandi caussa adiectum est poetae *amabunt*.

3) vd. Eun.: V, 2, 43. Hec. II, 1, 9; Ph. 1, 3, 13.

Fàxo tali *eúm* mactatum,[1]) atque sic est infortúnio.

In quo versu cum Donati verba adscripta legantur haec: *Faxo tali eum mactatum: pro eo quod est eum;* * *sic frequenter veteres. Ennius:*

Omnes corde patrem praebent animoque benigno
Circumfusum

Ilbergius in dissertatione: Qu. Ennii Annalium libri primi fragmenta" inscripta (Bonnae 1852 pag. 42) egregia coniectura revocavit Ennianum nec non Terentianum vocabulum hoc modo:

Omnes corde patrem peribent animoque benigno,
Circumfundunt *sum*

et:

Fáxo tali *súm* mactatum atque hic est infortúnio. —

Alterum consimilis corruptelae documentum est Ad. III, 3, v. 35.

Syrus: *Est iam* intus. Demea. Eho an est dómi ha-
[biturus Syrus: Crédo ut est
Deméntia.

cuius *Est iam* Faernus propter Donati notam: *Est iam: ut: Ellam confidens catus* (And. V, 2, 13) suo iure in *Ellum* mutavit. —

Nemo porro dubitare potest, quin Ph. V, 9, versui 23

Haecine erant itiónis crebrae et mánsiones diutinae

haecine vocabulum illatum sit post Donatum, qui Eun. IV, 5, 34 *haec* pro *hae* formulae gemellum exemplum afferens scribit: *Haec pluraliter pro hae, ut in Phormione: Haec illae erant itiones.* —

His fide non cedit elegantior *hinc illinc* scriptura, quam a Donato: *Proverbialiter hinc illinc* annotante servatam pro lil rorum: *huc illinc* Bentleius restituit Ad. IV, 5, 38 - 40;

---

1) Bembini scriptura est: *Faxo tali sit mactatus.*

Án sedere opórtuit
Domi vírginem tam grándem, dum cognátus *huc*
Illínc veniret éxspectantem? —

Nolo autem plura eiusmodi, quae ab aliis observata et Terentio restituta sunt longius persequi, sed duos versus in medium proferam, qui simili corruptelae obnoxii fuerunt.

Saepe illas pronominum formas quae in *met* exeunt apud Plautum oblitteratas esse Ritschelius V. Cl. monet in parergis pag. 515. Eandem corruptelam apud Terentium obtinuisse indicio sunt duo scholia And. II, 2, 24
D. Nón cohaerent Ph. Quórsumnam istaec? D. *'Ego me*
[continuo ád Chremem
adscripta, etiamsi ut nunc feruntur ab uno auctore ea profecta esse negaveris. Alterum enim hoc est: ***Ego me continuo ad Chremem: Deest duco. Consuetudine dictum est*** *ἐλλειπτικῶς*. Quod qui scripsit, quoniam sententiam ***duco*** non ***duco me*** supplendam esse suadet, ***ego me*** legisse putandus esset, nisi ***egomet*** in vetustis libris fuisse ex altero scholio appareret, cuius species haec est: ***Ego me: Una pars orationis est.*** Quam locutionem dubitare aliquis potest, utrum idem quod ***unum verbum est***, an tantumdem ac ***duo verba sunt sed unius vocabuli notionem continent*** valere voluerit interpres. Sic enim eam accipiendam esse putaverit, qui ***una pars orationis est*** annotatum legerit in And. II, 2, 34 ***quid ita*** et Hec. I, 2, 40 ***cum maxime***, contuleritque quae Eun. II, 2, 24 ***interea loci*** adscripta feruntur haec: ***Duae partes orationis cum coniunctae unam fecerint mutant accentum.*** Nam illis quidem locis in scholiastae verbis nihil inest, quod ***quidita, cummaxime, interealoci*** scribendi rationem ab eo commendatam esse suadeat. Cum maiore probabilitate hanc Donati mentem fuisse conicere licet ex interpreta-

tione vocis *neutiquam* And. II, 1, 30: *Neutiquam una pars orationis est pro nequaquam ut alio modo dicitur.* Quamquam enim *ne utiquam* semper scribendum esse ratio postulat, propterea quod prima huius vocis syllaba nunquam non corripitur: (cf. Bentl. ad Hec. I, 2, 30.) tamen inde non consequitur, ut a *neutiquam* scribendi ratione abhorruerit Donatus, qui in rebus metricis non ita subtilis[1]) fuit falsasque leges[2]) nonnunquam posuit.

Sed dirimit rem Donati nota ad Hec. IV, 1, 39 collata cum scholio ad eiusdem scenae versum tertium. Utroque loco apparet *derepente*, cui v. 39 adscriptum invenies: *una pars orationis est.* Ibi scholiastes tribus verbis indicat, quod paullo ante (vs. 3.) uberius explanat hoc modo: *Derepente una pars orationis est ut defessus; adverbiis enim praepositiones separatim non adduntur;* cui accedit alterum, quod eodem redit scholion: *Derepente ὑφέν; nam si separaveris non*

---

1) Ut unum exemplum afferam: Decoxisse eum Ad. II, 2, 24:
Nunc si hóc omitto *actúm* agam ubi íllinc rédiero
apparet ex interpretatione: *Actum agam:* Proverbium: id est, *nihil agam.* Quod enim iure semel iudicatum fuerit rescindi et iterum agi non potest. Sic in Phormione: (II, 3, 72.) *Actum aiunt ne agas.*
Atqui *ac tum* scribendum esse numeri docent.

2) Donatus ad Ad. II, 3, 5. *Itaque* et subiunctivum potest esse media syllaba correpta et praepositivum producta eadem syllaba ut sit *itaque.* Falsum hoc est. cf. And. III, 3, 18. Hec. IV, 2, 3; ib. 38.

Si quis autem Donatum parum accurate extulisse putat, quod sic potius dicendum fuerit: *Itaque* et subiunctivum potest esse secunda syllaba acuta, et praepositivum prima syllaba acuta — is exempla quibus ea lex confirmetur non inveniet apud Terentium qui *itaque* pro *et ita* usurpatae vocis secundam syllabam non acuit. (cf. versus supra citatos.)

est latinum. Hoc igitur loco dubitari non potest quin Donatus vocabulum de quo agitur in unum coniungendum esse praeceperit. Quo autem uberior explanatio versui tertio adiecta tendit, eodem tendat necesse est, quod brevitati consulens tribus verbis monuisse sat habet posteriore loco (vs. 39.) Quapropter magistrum reliquis quoque locis id commendasse puto discipulis, ut *quidita*, *cummaxime*, *interealoci*, *neutiquam* pro una voce haberent.

Atque haec quidem scribendi ratio speciem saltem habet probabilitatis. Sentis autem opinor rem aliter se habere cum And. II, 2, 24 *ego me* vocabulis, diversissimis illis inter se orationis partibus, quae in unam vocem redigi omnino non possunt. Quantillae autem audaciae est, *egomet* revocare, quo facto, nihil est quod scholion absonum esse dicas? [1]) Quemadmodum enim Hec. IV, 1, 3 *derepente* vocabuli condicio ex compositi natura derivatur, sic caussa cur *egomet* una pars orationis sit, ex *met* syllabae indole erit repetenda, sic fere: *Egomet una pars orationis est, nam met additio, si separetur, nihil significare potest per se.*

Huic igitur scholio insistens, *egomet* in vetusti exemplaribus fuisse confidenter praedico. Atque confirmatur ea opinio testimonio Prisciani, qui dimidium hunc versiculum propter *Chremem* accusativum citans (I, 257, ed. Krehlii) sine ulla librorum discrepantia: *egomet continuo ad Chremem* praebet. Huc accedit, quod Bembini ope primis Andriae actibus destituti sumus, vitiosa igitur scriptura,

1) Haud dubia illatae post Donatum et in fabulam et in lemma corruptelae exempla sunt Ph. V, 8, 39. *Faxo tali eum mactatum* pro *faxo tali sum mactatum;* et And. III, 2, 9 *Vel hoc quis non credat,* unde elegantiae caussa et Donati: *ironia est* adscribentis praesidio tutus, *non* voculam removit Kraussius in „Questionibus Terentianis criticis“ Bonnae 1850 pag. 24

quae reliquorum librorum communione tenetur, nihil miri habere potest, quoniam omnes ex eadem censura fluxerunt. Repugnat autem duobus illis testimoniis alterum scholion: *Egome: Deest duco: consuetudine dictum est ἐλλειπτικῶς.* Sed verba integra esse nego. Amat enim Donatus *et* coniunctione iungere sententias, quae ad idem lemma pertinent; velut And. I, 1, 2 *Paucis te volo: Deest colloqui aut verbis; et est figura ellipsis.* I, 1, 3: *Immo aliud. Bene ἀντέθηκε τὸ immo; et deest*[1] *volo.* II, *1, 27. Non potest. Deest fieri et hoc ad patrem retulit.* Quodsi ex Donati loquendi usu scholii speciem exspectare licet hanc: *Deest duco, et consuetudine dictum est ἐλλειπτικῶς*, externum accedit argumentum, quo inter *duco* et *consuetudine* aliquid excidisse probabile fit. Etenim Klotziana editio ibi *vel* vocem praebet. Modeste quidem loqui decet eum qui ex illius editionis scripturis aliquid effecisse sibi videtur. Sed quamdiu ne malorum quidem librorum vestigia prorsus spernenda erunt: potius quam *vel* vocem quae ab eo loco prorsus absona est additiciam esse putem, *me et* vocabula quae requirimus in ea latere dicam. Illata enim semel *ego me* corruptela in fabulam et inde in lemma, ne ab ineptissimo quidem librario *ego me: deest duco me* scribi verisimile est.

Ad loquendi rationem quod attinet, cum hoc versu arctissime coniunctus est And. I, 3, 21:

Sed Mýsis ab ea egréditur; at ego hinc me ád forum,

ubi *ego* et *me* vocabulis medio *hinc* separatis de *egomet* forma revocanda cogitare audacius esse videatur. Sed audiamus Donatum: *At ego hinc me ad forum: Vultuose hoc pronuntiandum ut desit: Pergam aut ducam me.* Duo igitur addidit verba quibus sententiam suppleri posse

1) *Deest* scribendum videtur pro *est* quod nihil valet.

indicat. Qualia vero verba? Quae nullam dubitationem admittunt, quin *me* posteriore tempore insertum sit. Nihil igitur magis in promptu est, quam eiecta illa vocula trimetrum revocare hunc:

Sed Mýsis ab ea egréditur at ego hinc ád forum,

in quo acquiescendum sane esset, nisi senarius a tetrametro in fine scenae exceptus gravioris corruptelae suspicionem moveret. Vide enim versuum quibus tota scena composita est genera. Tetrametros iambicos acatalectos habes, ubi quantum pericli ex spretis domini minis sibi immineat a servo exponitur (1—9). Deinde transitur ad senarios quibus argumenti pars narratur (10—19). Hos autem excipiunt versus qui scenae finem constituunt 20, 21, 22:

Mi quidem hércle non fit véri simile, atque ípsis cómmentúm placet.
Sed My'sis ab ea egréditur, at ego hinc me ád forum, ut
Convéniam Pamphilúm, ne de hac re páter imprudentem ópprimat.

quorum vigesimus, tetrameter iambicus acatalectus[1]), nihil

---

1) Bentleius eiecto *hercle*, ut quod et versum et sententiam oneraret, tetrametrum trochaicum voluit esse hunc:

Mí quidem non fit vérisimile at ípsis commentúm placet.

Cur enim, inquit, *adiuret hic et tantopere adseveret Davus? hic, inquam, ubi dubitat tantummodo et suspicatur.* Nimius est in hac re. Nam *hercle* a Terentio saepe ita usurpatur, ut asseverandi, nedum adiurandi notio prorsus abesse videatur. (cf. Eun.: II, 3, 65; III, 2, 14) Deinde autem si dubitanti ea voce uti non licet, quid facies Parmenonis verbis Eun.: I, 1, 5: „Si quidem hércle possis nil prius neque fórtius" quae erili filio respondet, quem in sententia de spernenda meretrice perseveraturum non esse suspicatur. Sed Davum ne dubitare quidem, quin ea quae inde a decimo quinto usque ad versum decimum nonum exposuerat, decipiendi Simonis caussa ab

offensionis habere potest, quia Davus, narratione finita, denuo ad deliberativas partes transit. Sed qui eum excipit senarius cum extremo tetrametro ex Terentii more non est. Quicunque enim peracto scenae argumento in fine adduntur versus, quibus nova persona adveniente aut alio modo nova scena praestruitur, neque genere neque pedum numero inter se differunt. Longe plurimis scenarum finibus illi versus concinunt cum eis qui praecedunt; mutatorum modo generum modo pedum numerorum exempla haec sunt. Uno versu nova scena indicatur extremis Eun: IV, 5; Hec. IV, 3; duo versus exstant And. I, 4; Ph: I, 3; tres habes extrema Heaut. V, 2. [2]) Solus locus, qui quamquam eadem numerorum perpetuitate decurrit, tamen non eundem pedum numerum exhibet, est And. III, 4 extr., ubi oratio Davi, erum quem invitum et insperantem in

---

amantibus conficta sint omnia, satis apparet ex versu 15: *Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam* et vs. 19 extr. *fabulae* voce. Addit autem versum 20, ut Pamphilum et Glycerium ad hoc commentum confugere et in eo solatium quaerere mirum non esse dicat, a semet ipso autem, summo in malis fraudibus excogitandis et perspiciendis artifice, multum abesse confirmet, quominus talia putet. Quae confirmatio quo fortior evadit, tanto melius, quare *hercle* sententiam non modo non onerat, sed veteratori apprime convenit. At versum onerat! Nihilo plus, quam quod primum Hec. II, 1, 20 pedem constituit *aut quidem hércle*, sive Plaut. Trinummi 58: *Dum quidem hércle*, quod e multis exemplis affert Ritschelius (proleg. pag. 154) unde *quidem* delitescens nihil offensionis habere posse appareat. Male praeterea librorum *atque* a Bentleio in *at* mutatum esse, Handius exponit in Tursellino I, pag. 488.

1) Recte Bentleius ibi testrametros iambicos catalecticos revocavit.

nuptias coniecerat furibundum advenire videntis, dimetro et tetrametro continetur:

Sed éccum video ipsum; óccidi!
Utinám mihi esset áliquid hic, quo núnc me praecipi-
[tém darem.

Sed quemadmodum clausulae in mediis scenis quae magnos animorum motus habent saepe usurpantur, sic illo loco ubi Davus in summo discrimine versatur facile excusatur. Huc accedit, quod desinit in gravissimam *occidi* exclamationem, quae per se versum constituit Ern: II, 3, 1. Qua elata, res ipsa postulat ut actor aliquantisper conticescat. Sed nihil eiusmodi fit in illo Andriae versu. Tranquillior enim quam scenae exordio Davi animi status est, ipse senarius autem cum insequenti tetrametro arctissime cohaeret. Nihil igitur restat, nisi ut aut Terentium a consueto more sine ulla caussa recessisse, aut vocabulum excidisse putemus, quo revocato ille versus cum extremo scenae versu concinit. Quod quale fuerit cum ex festinantis servi condicione facile intelligitur, tum quid fuerit docet sermo quem cum Pamphilo de suspecto patris consilio habet Davus II, 2, 16—18.

Túus pater me módo prehendit, áit tibi uxorém dare [1])
Hódie; item alia múlta quae nunc nón est narrandi
[locus.
Cóntinuo ad te próperans percurro ád forum, ut
[dicám tibi haec;

1) Sic scripsi versum, invitis libris mscr., in quibus post *dare* comparet *sese* vocula, quae numeros turbat. Nam unum octonarium inter triginta septem tetrametros catalecticos a poeta scriptum fuisse veri simile non est. Bentleius eiecto *sese*, incertae sedis vocabulo quod a codice primariae notae abest, *dare* in *dari* mutavit. Sed ne hac quidem mutatione opus

item ex versu quem supra tractavi eiusdem scenae 24. *Egomet continuo ad Chremem;* quibus adde alius ellipsis exemplum And. I, 1, 55 *Egomet continuo* mecum.

Scripsit opinor Terentius:

Sed Mýsis ab ea egréditur, at egomét continuo hinc [ád forum ut
Convéniam Pamphilúm ne de hac re páter imprudentem ópprimat.

Excisae huius maxime vocis suspicionem auget similitudo *commentum, continuo, conveniam,* vocabulorum, quorum primum in vs. 20 fine eandem, quam vs. 21 *continuo* occupat sedem, *conveniam* autem vs. 22 initio positum est. Nulla enim omittendi vocabuli caussa frequentior est, quam litterarum similitudo, quae inter verba proxime se excipientia intercedit.

Restat ut *egomet ad Chremem,* et *egomet ad forum* loquendi rationem librorum scripturis praestare paucis comprobetur. Ad quam quaestionem dirimendam cum aliud eiusmodi exemplum, quod in alterutram locutionem confirmandam refutandamve valeat, apud Terentium non exstet omne auxilium ex ratione erit petendum. Ratio autem flagitat ut ellipsim eis vocabulis suppleamus, quae plenior locutio continet. Sic And. I, 2, 12 *Ehodum ad me* collato Ad. V, 9, 13 *Eho accede huc ad me* certissimum erit *accede* vocem supplere; Eun. V, 1, 10. *Quid is ad nos?* supplementum habet in usitata *ad aliquem venire* locutione. Item qui And. V. 4, 48 *Propero ad filiam, Eho mecum*

---

est; sollennis enim apud Terentium post verba dicendi pronominis *se* ommissio, veluti: And. III, 1, 12. *Quid hic sensisse ait.* Eun. III, 3, 7. *Ait rem divinam fecisse.* And. II, 2, 21. *Rogo; negat vidisse.* Ad. I, 2, 71. *Dixit velle uxorem ducere,* quibus adde And. I, 1, 118. Ad. I, 1, 52. Hec. IV, 1, 35.

Critó et Ad. II, 4, 13 ***Ego ad forum ibo ut hunc absolvam, tu intro ad illam Ctesipho*** ad plenam sententiam desunt imperativi, ex praecedentibus *propero* et *ibo* facile adsciscuntur. Proxime ad Andriae versus accedit Eun: V, 2, 5

Notus mihi quidam obviam
Venit; ubi vidi *egomet in pedes* quantum queo.

ubi veterum librorum scriptura *egomet in pedes* ab editoribus in *ego me in pedes* mutata est. Et recte quidem, cum latini sermonis indoles ibi flagitet *me* pronomen. Nam qui plene loquebatur, verbis activis utebatur, velut *coniicere se in pedes* Ph. I. 4, 13 *dare se in pedes.* Plaut. Capt. I, 2, 12 Alia autem *ego ad Chremem* et *ego ad forum* ellipsis condicio est. Nam plena locutio in fabulis tantum non semper est: *ire ad aliquem; ire ad forum,* raro alia sed ea cum verbo intransitivo cuniuncta, velut: *Percurrere, transcurrere, transire ad forum* And. II, 1, 18 Eun: IV, 5, 25, Hec. II, 2, 31. Phorm. V., 8, 28; *currere pergere ad aliquem* Hec. IV, 4, 97 ib. V, 3, 10 Heaut. V, 2, 28 Ad. IV, 2, 47 Ph: I, 2, 62.

Quodsi Terentius servum omisso quam addito verbo loquentem facere maluit, eius orationem ita instituisse putandus est, ut quod ad sententiam deest ex eis locutionibus sit adciscendum, quas supra attuli. Quod cum verbum intransitivum sit, *me* pronomen a Davi *Egomet ad Chremem* et *egomet ad forum* tam alienum est, quam Chaereae illud *Egomet in pedes* propter Terentianum *coniicere se in pedes* et Plautinam *dare se in pedes* mutationem requirit.

Sed haec hactenus. Proferam nunc versum, cuius corruptela prava vocabulorum collocatione continetur. Ad. II, 1, vss. 11 et 12 in libris conformatio haec est:

Nóvi ego vestra haec: Nóllem factum; iúsiurandum
[dábitur te esse

Indignum iniuria hác, indignis cum égomet sim acceptús
modis,

quos quia octonarium plenum semper excipiat trochaicus Bentleius hoc modo legendos esse praecipit:

Nóvi ego vestra haec: nóllem factum, iúsiurandum
[dábitur te esse in-
Dígnum iniuria hác, indignis cum égomet sum acceptús
[modis.

Sed haesit in hac *indignum* vocabuli divisione Hermannus (Elem. doct. metr. pag. 170 et 174) et optimo quidem iure, nam simile eius rei exemplum in Terentianis fabulis frustra anquires. Ipse autem Hermannus parum proficit artificio, quo vocabulorum collocatione paullulum immutata versus prodire voluit hos:

Nóvi ego vestra haec: nóllem factum, iúsiurandum
[dábitur te índignum
Ésse iniuria hác, indignis cum égomet sim acceptús
[modis

ultima scilicet *indignum* vocabuli syllaba in proximum versum coniecta. Nam ne huius quidem elisionis exemplum prorsus gemellum apud Terentium est. Quod enim ferebatur Eun: IV, 1, 11 et 12 ipse Hermanus (pag. 120) felicissime removit; quemque ad opinionem suam comfirmandum ex Adelbhis adscivit III, 4, v. 19

Quid istúc est? Nostram amícum noras Símulum atque
Aequalem

nostro loco aequiparari non debet. Nam *atque* vocis ultima syllaba tribus aliis locis apud Terentium eliditur, Ad. II, 2, 9. III, 3, 20; V, 3, 59. quibus exemplis, quae memorabili documento sunt, quam sedulo veteres caverint, ne *ac* formam ponerent ante vocalem, omnis continetur libertas, quam Terentius in ultimae versus syllabae elisione sibi indulsit. Quam libertatem eo redire videbis ut poeta, op-

tione data inter duas eiusdem vocabuli formas, eam dederit actori quam euphoniae lex posceret, cuius in recitandis fabulis apprime ratio erat habenda. Sed in illis Adelphorum versibus nihil huiusmodi est, neque ullam ut breviter dicam necessitatem deprehendo, cur ad Hermanni artificium sit confugiendum, dummodo Donatum audiamus qui Hecyrae V, 1, 15 explicans partem veri servavit. Dicit enim: „Sic in Adelphis ait: *Indignum te esse iniuria hac indignis cum egomet sim acceptus modis,*“ quae verborum collocatio commendatur Eun: IV, 4, 4.

Étiam nunc credés *indignis nós esse* irrisás modis [1])

Verba: *Te esse iniuria hac indignis cum egomet sim acceptus modis* tetrametri trachaici catalectici mensuram explent, quare ea versum duodecimum constituere volo; *indignum* autem antecedenti appono versui, mutataque *iusiurandum dabitur* vocabulorum ordine, scribo:

Nóvi ego vestra haec nóllem factum, *dábitur iusiu-[rándum indignum*

Te ésse iniuria hác indignis cum égomet sim accep-[tús modis.

Sic solus ille versus, qui Hermanni legem: „Nullos tetrametros trochaicos hypermetros apud comicos inveniri“ (cf. El. pag. 170) infringere videatur, sublatus est; verborum *indignum te esse* collocatio Donati auctoritate et gemello loco nititur; denique, ne quis in *dabitur iusiurandum* verborum inverso ordine offendat, praesto est Hec. IV, E, 7.

Dabo iúsiurandum, *níhil est* istorúm tibi. —

Consistam in hoc tamquam certissimo exemplo, unde poetae elegantiam prava vocabulorum collocatione post Dona-

---

1) Sic Bentleius. Libri:

Etiam *nunc non credis* indignis nos esse irrisas modis.

tum pessumdatam esse appareat. Mihi quidem ea lectionis pars quam Donatus servavit emendationis, quam vel ratiocinando assequaris, viam aperuit. — Idem mihi usu venit, cum in Andriae I, 5 versu 23 haererem, quem lemmatis a Donato adscripti species illo corruptelae genere laborare me docuit, quod in brevibus voculis extrinsecus intrusis versatur. Continet autem ille versus partem orationis Pamphili subito nuncio de ducenda uxore attoniti, quem vereor ut Terentius numeris loquentem fecerit quales satis ineleganter ne dicam vitiose in codicibus feruntur hi:

Quód si ego réscissem íd prius, — quid facerém si quis [nunc mé roget,
'Aliquid facerem, ut hóc ne facerem; séd quid nunc [primum éxsequar.

In thesi delitescit emphasi notanda *prius* vox, praeter morem erigitur *id* pronomen, invenuste denique ictus cadit in extremam *facerém* vocabuli syllabam, quorum unum quodque tam parum ex arte est, ut assentiendum sit Bentleio verba corrupta esse existimanti. Is autem audacius finxit versum, quem in verborum coniunctionem recipere non haesitavit hunc:

Quódsi ego *scissem* id prius, quid facerem, si quis [nunc me intérroget.

Primum enim non est quod offendas in librorum *rescissem*, cui inest comperiendi notio satis ea apposita ad condicionem Pamphili, qui de patris consilio nihil ad se permanasse aegre fert. Atque hoc vocabalum ne tentes reliquae versus partis ruentes nummeri docent, ad quos fulciendos, quod Bentleius ex Eugraphii commentariis desumpsit *interrogat* adminiculum non flocci faciendum est. Nam Eugraphii lemmata ad poetae verba constituenda nullius usus sunt. Hoc autem loco, quae Bentleius calidius arripuit illius verba: *Quid facerem si aliquis me interroget* ne pro lem-

mate quidem habenda esse ex adiecto *huic responsio datur: Aliquid facerem ut hoc ne facerem*, apparet. Quod ut ita esse sentias, cum illa interpretatione conferas volo simillimum Eugraphii scholion ad simillimos Eun: III, 3, 4 et 5 versus:

Iam túm cum primum iússit me ad se accérsier
Rogét quis: Quid tibi cum illa? Ne noràm quidem

ubi Eugraphius: „*Roget quis: Si quis interroget; quid mihi cum meretrice sit, respondebo: Ne noram quidem.*"

Derelictis igitur Bentleii coniecturis alia emendationis via dispicienda erit. Fallit autem primo obtutu oppositionis vis, quae inter *prius* et *nunc* adverbia intercedere videtur. Atqui eam non modo non desiderari sed etiam absonam esse, planius perspicietur, si orationem ad Eun. III, 3, 4 et 5 exemplum hunc in modum instituimus: Quodsi ego rescissem id prius, quid facerem, roget quis: Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Ubi vides, opinor, nullam inter *prius* et *nunc* oppositionem esse, deinde autem, quam otiosum sit additum illud *nunc;* nam quo alio tempore quam quo loquitur eam quaestionem sibi obiici vult Pamphilus? Tolle igitur eam voculam, quam a male sedulo correctore oppositionem hic flagitari falso opinante adscriptum esse Donatus suadet, qui eam in lemmate non agnoscit, [1]) et versum habebis hunc:

---

1) Lemmatum fides quam dubia sit, minime me fugit, quare duos afferam versus, quibus *nunc* aliena manu additum esse, vetustorum codicum auctoritate extra omnem dubitationem ponitur. Alter est Hec. V, 1, 13.

Nam si íd nunc facis factúrave es bonás quod par est fácere

unde Faernus *nunc* quod Bembinus non habet suo iure expunxit. Confirmatur autem Bembini scriptura auctoritate Donati qui in annotatione ad eiusdem scenae versum 27 servavit germanum: *nam si id facis facturave es.*

Quódsi ego rescissem id priús, quid fácerem si quis
[mé roget

Illuncine autem ab omni parte tutum esse concedamus? Minime vero. Invenuste enim ictu excitatur *id* vocula, nulla notionis pondere ea insignis. Vim sententiae *prius* habet, quare elegantia flagitante, ratione non refragante, pleniorem *rescivissem* formam revoco versumque sic constituo:

Quód si ego réscivissem id príus, quid fácerem; si
[quis mé roget

ubi „*prius*" mensura, sive príu' sive prius pronuncies, sexcentis Terentianis exemplis firmatur.

Gravior corruptela invasit Eun. V, 1, 23 cuius tralaticia forma haec est:

Pyth. Comprehendi iube quantum potest.

Alterum exeaplum est Trinummi Plautinae v. 351.

Quód habes ne habeas ét illuc quód nunc non habes habéas malum

Sic quidem versum metiendum putarunt, qui ante Ritschelium Plautum ediderunt. Aliter Ritschelius:

Quód habes ne habeás et illuc quod nón habes habeás malum

omisso scilicet *nunc* quod abest ab Ambrosiano (cf. Ritsch. proleg. pag. 135.)

Eandem vocem ex Hec.: III, 4, 16.

Parm. Ere etiam tu nunc hic stas Pamph. Et quidem
te exspecto. Par. Quid est?

eiecit Bentleius. Quem mirum est non vidisse eadem corruptela laborare Eun. IV, 4, 38.

Cóncede istuc páullulum; audin? Etiam *nunc* paullulum; sat est

cuius alterum *paullulum* cum Bentleio in *paullum* mutare religio est. Repone:

Cóncede istuc páullulum; audin? étiam paullulúm; sat est;

nam *etiam* cum *aliquantulum*, *paullulum* coniunctum idem valet quod nostrum *noch* (cf. Handii Tursel. II, 550.)

Thais. Quid illó faciemus stúlta? Pyth. Quid faciás rogas?
Vide amábo, si non cum áspicias os ímpudens.
23 Vidétur, *non est*, túm quae eius confidéntiast.

Nempe in vetustis libris *non est* dicta Pythiadi continuantur, mala sane sententia. Quid enim caussae est, cur irata ancilla Chaeream impudentem videri, revera impudentem non esse dicat, quem paullo ante virginem sat impudenter vitiasse sciat? Artificiose quidem sententiam expedire conatus est Eugraphius: *Sensus, inquit, talis est: Vide impudentiam, vide aspectum, quemadmodum incedit. Os ergo impudens videtur, cum aspicias venire. Et quasi aliquid meretrix dixerit, ita subiungit: Non est? quasi: Negas esse quod dico! Et hoc ut confirmet adiungit: Cur igitur tanta confidentia fretus incedit?* Haec explicatio ut leviora mittam duas potissimum offensiones habet. Primum enim ut Thaidem se aliter atque ancillam de Chaereae vultu sentire aliquo modo indicasse largiamur: miranti ancillae *non est* responsum non convenit. Dicendum erat: *Non videtur*. Deinde autem dictum aliquod Thaidis desideratur, quo interiecto, Pythias habeat cur illud *non est* cum admiratione efferat.

Atque haec quidem caussa fuisse videtur, cur Bentleius vetustorum codicum fidem suis libris posthabuit, in quibus *non est* Thaidi assignatum vidit. Eiecto autem *est*, quod a Thaide aeque alienum est, atque a Pythiade, et simul id curans, ut *quae* sub ictum collocaretur, versum proposuit hunc:

Vidétur. Thais. Non. Pyth. Tum quáe eius confidéntiast.

Obstat huic coniecturae *non* particulae usus, quae nonnisi post locutiones responsum necessario exigentes ponitur. (cf. And. V, 4, 29; Eun. IV, 4, 32, 45; V, 2, 13, 15; Heaut. III, 1, 27; IV, 6, 17; V, 1, 21; V, 3, 16.)

Verum post Pythiadis: *Vide amabo si non cum aspicias os impudens videtur*, responsum ne expectatur quidem. Quo tamen iure Bentleius hoc clemens Thaidis responsum praeparationem esse dicat scenae sequentis, ubi reconciliatio fiat et familiaritas nascatur, omnino non intelligo, cum Thaidem a Chaerea nondum conspectam fuisse appareat ex insequentis scenae vs. 9: *Sed estne haec Thais, quam video?* Huc adde Bentleianorum codicum condicionem. Quos cum vetustis Faerni libris graviores interpolationes perpessos esse constet, eam verborum distributionem cuius Bentleius mentionem facit inter eas numerare non dubito.

Missa igitur illa coniectura, videamus de Donato qui haec adscripsit: *Vide amabo si non cum aspicias os impudens videtur: Mire ab eo quod respondere coeperat ad aliud transit mirata confidentiam Chaereae.* [1]) *Non est impudens, inquit, non est nisi similis impudenti: sic alibi:*

Severitas inest in vultu atque in verbis fides.

Prima scholii pars inde a *mire* ad *Chaereae* integra est, et sic explicanda: Verbis *Mire ab eo quod respondere coeperat* designatur Phythiadis: *Quid facias, rogas?* (vs. 21) post quam quaestionem minax aliquod verbum velut. *Iube eum intro rapi, constringi* exspectare licet. Eadem de causa *aliud* voce, significatur ancillae oratio quae vss. 22 et 23 continetur. Aliam Donati verborum oppositionem adiectum illud: *mirata confidentiam Chaereae* suadere videtur, hanc quidem ut Donatus *ab eo quod respondere coeperat* verbis ad poetae *Vide amabo si non cum aspicias os impudens videtur* pertinere, *aliud* voce autem designare voluerit extrema scenae verba: *Tum quae eius confidentiast.* Verum si haec Donati mens fuisset, illa ipsa

---

1) In Klotzii editione *Chaereae* et *non* additum est: *Id est, non est, tum quae est eius.*

verba in lemmate erant ponenda. Itaque *confidentiam* quod in scholio est, idem significat ac quod accuratius sane adiecto *et impudentiam* sive *os impudens* exprimi poterat.

Atque haec observatio ad totam sententiam pertinet. Reliqua scholii pars singularis cuiusdam locutionis interpretationi inservit, quam multum abest ut cum Faerno *non est* verba esse putem. Semel enim atque iterum Donatus *videtur* vocabulum indignum non duxit, in quod quam bene dictum sit commentaretur, velut: Hec. IV, 4, 24:

Nequeó satis,
Quam hoc mihi *videtur* fáctum prave próloqui.

Totum modeste quamvis indignetur, quia apud maritum uxor non est vehementius accusanda. Similiter Eun. IV, 4, 17.

Nunc eó *videtur* fóedus quia illam nón habet:

Facete videtur, non enim est. Consimilis studii vestigia latent in verbis, versui de quo agimus, adscriptis. Quae cum interpolata et corrupta (cf. Westerhovium) et in exordio et fine decurtata sint, audendum aliquid est, ut inde similem sententiam eruamus atque illae sunt quas supra attulimus. Quodsi Donatus scripserit: *Scite videtur, nam non est impudens, inquit, sed non est nisi similis impudenti,* satis perspicuum est quomodo illud *non est* nasci potuerit: Quod quam facile in poetae verborum coniunctionem irrepere potuerit, intelligitur ex huius fabulae V, 8, 34:

Si te in platea offendero hac post unquam *nihil*
[*est* quod dicas mihi

Nam *nihil est* quod Bembinus non praebet explicandae constructionis caussa olim suprà scriptum et postea in versum receptum est a sciolo, qui tamen simili locutioni huius fabulae IV, 7 15

Sané quod tibi nunc vír videatur ésse hic nebulo
[mágnus est

pepercit, quamquam ibi quoque exstat nota: *Deest: non*

est, ut sit: Non est quod tibi vir videatur esse, hic nebula magnus est. —

Atque ex hac quam proposui scholii forma sponte intelligitur, quo meo iure eius finem decurtatum esse dixerim. Nullam enim si quid video comparationis cum Pythiadis verbis ansam praebet Andriae ille versus: (V, 2, 16.)

Severitas inest in vultu atque in verbis fides

sed qui in illa fabula praecedit versus 15:

Cúm faciem videás videtur ésse quantivís preti

ad Pythiadis loquendi rationem illustrandam tam aptus est, ut eum potissimum adscriptum fuisse haud improbabiliter coniicias. Nam in eo quoque *videtur* apparet, quod quemadmodum Eun. IV, 4, 17 *facete,* Hec. IV, 4, 24 *modeste,* sic Andriae illo versu *scite* dictum esse Donatus observat. Qui si eam rem longius persequi voluisset, sine dubio similia eorum quae in Eun. V, 1, 23 scholio exstant, in Andriae scholio legeremus velut: *Scite locutus est, non enim est quantivis preti inquit, sed videtur.*

Quodsi *non est* inutilis additamenti speciem prae se fert, videndum erit de versu, qui eiectis illis verbis toto pede deficit. Bentleius *quae* vocem sub ictu ponendam esse monet. Satisfieret illi opinioni inserto *autem*, sic quidem:

Vidétur; *tum autem* quàe eius confidéntiast

quae *tum autem* particularum copulatio apud Terentium hic illic reperitur. (cf. I, 5, 34; Eun. II, 3, 11; Hec. II, 1, 14.) Sed Bentleius legem de verbis quae emphasi notantur sub ictu collocandis ad severiorem paullo normam aliquoties exegit. Quomodo enim, si vera esset, defenderes versus quales sunt Ad. I, 1, 10 et 11:

Fgo quia non rediit filius *quae* cógito!
Quibus núnc sollicitor rébus!

eiusdem fabulae III, 2, 17:

Tum autém Syrum impulsórem, vah! *quibus* illum [lacerarém *modis*.

Quare levi verborum transpositione versum hoc modo constituo:

Vidétur, tum quae est éius confidéntia. —

Haec quae tractavi exempla ita comparata sunt, ut aut mali numeri aut sententia interpolationis suspicionem continuo moveant. Esse autem versus, tam eleganter interpolatos, ut corruptricem manum agnoscere non possis, ex eo exemplo apparet, quod supra attuli. Simile quid factum esse videtur And. I, 1, 124:

Tute ípse his rebus fínem praescripstí pater

Donatus in lemmate habet: ***Tute his rebus finem***, quae verba per se spectata sat gravis caussa non sunt, cur de *ipse* vocis interpolatione cogitemus. Accedunt autem scholia, proximae scenae v. 37 et quintae scenae v. 27 adscripta quibus Donatus hunc versum eadem voce decurtatum inseruit. Quare haud scio an poeta verba eadem interpolationis contagione laborent, quae invasit Plautinae Trinummi versum 96, cui *ipse* cum magno numerorum detrimento ab interpolatione additum esse Ritschelius docet in proleg. pag. 163. Sed remoto *ipse* ex Andriae illo versu, actum est de senario, qui servato *praescripsti* syllaba deficit; adscita autem *praescripsisti* forma, sic quidem:

Tute hís rebús finém praescripsisti pater

tam horridis numeris incedit, ut nauseam moveat. Ergo de alius vocabuli corruptela erit cogitandum, quod inserto *ipse* in promptu erat mutare. Cum autem alias tum ***hice hoce*** et consimiles formas a librariis oblitteratas esse constat quare cum magna confidentia librorum scripturam olim hanc fuisse dicere licet:

Tute híscе rebus fínem praescripstí pater.

Ab omni interpolationis suspicione liberum dixeris

astuti Getae sermonem Phorm. IV, 3, 60 et 61, quem tamquam cum parasito habitum senibus refert, ut praeter viginti minas, quas iam promiserant, decem alias ex eis extorqueat. Sunt autem Getae verba haec:

Uxóri emunda ancíllulast: tum plúscula
Supelléctile opus est, ópus est sumptu ad núptias,

quorum primum Bentleius infeliciter tentavit, insequentem aliter atque nunc fertur legisse videtur Donatus. Nempe Bentleius, libris suis qui omnes *tum autem pluscula* praebent nimis addictus, ex eorum uno *ancilla* formam adscivit versumque sic constituit:

Uxóri emunda *ancíllast*, tum *autem* plúscula.

Sed *ancillulae* diminutivum apprime convenit servi consilio, quo Phormionem nil nisi tenuissima quaeque empturum esse senibus ad dandum difficilibus persuadere studet. Hinc eiusdem versus *pluscula* versusque 58 *aediculae;* huc denique referendum est, quod parasitus ob servi fallaciam exsultans ait V, 5, 10:

Ego me íre senibus Súnium
Dicam ád mercatum. *ancíllulam* emptum dúdum
[quam dixít Geta.

Huc accedit Eaerni librorum auctoritas, in quibus neque *ancillae* formae neque *autem* vocabuli, quod Priscianus item ignorat, vestigium ullum. Immerito igitur Bentleius huic versui obstrusit *autem*, quod nisi fallor alia ratione lucro apponere sibi poterat. Nam in versum 61:

Supelléctile opus est, *ópus est* sumptu ad núptias

Donatus annotavit: *Opus est subauditur*, unde in eius libris *opus est* geminatum non fuisse apparet. Incredibile sane est, versum in eius toto pede deficientem fuisse, veri simillimum autem, alterum *opus est*, quod Donatus vult subaudiri, alius aliorumve dictorum sedem occupavisse, quorum quidem unum est, quod nunc versum 60 gravatur *autem*,

alterum haud dubia coniectura resuscitatur. Fuit in Donati libris:

Uxóri emunda ancíllulast, tum plúscula
Supelléctile opus est; tum aútem sumptu ad núptias

Quemadmodum sexcenties factum est, ut adscriptum vocabulum in poetae verborum coniunctionem irrepserit, germanamque scripturam de loco moverit: sic *opus est*, primo supra scriptum post a librariis versui illatum est, cuius *tum* deleverunt *autem* in praecedentem versum migrare iusserunt.

Has deprehendisse mihi visus sum singulorum corruptelas, quae in nostros codices propagatae a Donati libris abfuerunt. Quarum partem Bentleius intactam reliquit, partem ita tractavit ut meliora in medium proferri posse opinarer. Alia ratio est versuum ad quos nunc sum transiturus. Sunt ex eorum numero quibus Bentleius consimiles corruptelas atque eae sunt, quas hactenus persecutus sum, praeter necessitatem intulit.

Saepissime Donatus Terentianos versus alios aliis de caussis interpretationibus suis immiscuit, quos a Bentleio aliquoties respectos esse documento sunt emendationes qnales habes: And. I, 2, 23 *edico*, quod pro fabulae *sed dico* ex scholio ad eiusdam fabulae III, 2, 15 adscitum est; Hec. IV, 1, 22 *de hac re* quod pro eius versus *ex hac re* exhibet scholion ad Hec. IV, 4, 89; Ph. V, 8, 23 *haec illae*, servatum illud in scholio ad Eun. III, 5, 54, fabula suppeditante *haecine*. Quodsi Bentleius haec animadvertit, haut facile dicas, utrum in mutandis versibus quos infra ponam Donati testimonia sibi delabi passus sit an ea videre nuluerit. —

And: I, 4 vvs. 7 et 8 hi sunt:

Sed qúidnam Pamphilum éxanimatum video, vereor [quid siet

Oppériar ut sciám *nunc quidnam haec túrba tristi-*
[tiae adferat

in quorum alterum Bentleius annotat: *Totus versus sic legendus est:*

Oppériar ut sciám *numquidnam haec túrbae tristĭtia*
[ádferat.

Num tristitia, inquit turbam non turba tristitiam adferat? Nondum enim turbam ullam viderat Mysis. Pamphilum conspexerat ambulantem solum nihil dum loquentem, sed ex vultu et incessu tristem et exanimatum esse facile coniectabat. Ergo scire expetit numnam haec Pamphili tristitia turbae quid praenuntiet II, 3 5.

Sed si tu negaris ducere ibi culpam in te transferet
Tam illae turbae fient. —

Bene factum quod Bentleius ex Donati in versum octavum nota *numquidnam* revocavit, male factum quod in hac emendatione non constitit. Offensioni enim est in versu, quem edidit: *Numquidnam haec turbae tristitia adferat* constructio, quae lyrico poetae condonanda abhorret certe a sermonis quotidiani simplicitate. Sed sententiam quoque vix habeas quo defendas. Nam quem Mysis *exanimatum* dixerat, eius animi perturbationem *tristitiam* appellare non potuit. *Exanimatus* enim proprie dicitur, qui recenti et gravi commotione agitatus, gestu totiusque corporis motu eam indicat (And. I, 1, 104; I, 4, 7; Hec. III, 5, 4; V, 3, 7.) *tristis*, qui prima animi agitatione sedata maesto torvove praecipue vultu non autem vehementi aliquo gestu residuam sollicitudiuem prodit (And. I, 1, 81; II, 3, 29; Ad. I, 2, 2 et 3.) Atque talem Pamphilum Bentleius finxisse sibi videtur, cum eum ambulantem faciat; prorsus contra totius loci indolem. Pamphilus recenti iniuria praeceps actus in scenam proruit, turbato vultu, rapido incessu, effusurus in quaerelas, quemadmodum Geta Ad. III, 2, 1

et cognominis servus Phorm. I, 4, 1 qui novo nuncio perterriti similiter ac Pamphilus in summo discrimine versantur Argutius igitur quam verius Bentleius: *Ex vultu* inquit *et incessu tristem et exanimatum esse coniectabat*, in qua verborum coniunctione *tristem* prorsus otiosum est. Mysides *exanimatum* suapte natura eo nos ducit ut versus proximi *turba* perturbationem esse dicamus, quam iuvenis ira doloreque stimulatus primo vultu et incessu et statim post querelis prodit; *tristitiam* autem nihil impedit, quominus idem quod *aegritudinem* valere putemus, quam ancilla perterrita dominae parturienti immimere praesagit. Quapropter standum erit ab hac librorum scriptura atque a Donati partibus, qui eam servavit in interpretatione Eun: V, 4, 25 adscripta.

And, V, 2 vvs. 8 et 9 hi vulgantur:

Sim. Étiam tu hoc *respóndes:* quid istuc tibi negotist [Dav. Mihin? Si. Ita
Dav. *Mihine.* Si. Tibi ergo Da. Modo introivi. Si [Quasi ego quam dudum rogem.

quorum versuum in Bentleiana editione species haec est.

Simo: Etiam tu hoc *responde;* quid istuc tibi negotist. [tist. Dav. Mihin? Simo Ita
Dav. *Mihi?* Si. Tibi ergo. Dav. Modo *ego* introiv [Sim. Quasi ego quam dudum rogem.

Suo iure Bentleius *introii* mutavit in *introivi*, versumque ut sustentaret, inter *modo* et *introivi* pronomen *ego* inseruit. *Respondes* in *responde* atque *mihine* in *mihi* mutationes probandae non sunt. Servius quidem Aen. XI, 373 explicans scribit: *Etiam tu: Heia (eia). Nam hortantis adverbium est hoc loco. Terentius: etiam responde.* Sed longius persequi non opus est, quam facile a librario qui Terentianum exemplar non inspexit *respondes* in *responde* mutari potuerit, quia sic demum Terentiana verba

cum Virgilianis: *Etiam tu . . . : illum adspice contra* congruere videbantur. Servius nihil voluit, nisi *etiam* particulae vim explicare, de imperativo non cogitavit. Addit enim: *Alias adhuc significat et est temporis (adverbium)* ut: (VI, 485) *etiam currus etiam arma tenentes; alibi pro coniunctione* ut: (X, 390) *Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis.* Quodsi Servii testimonium perdubium est, Donati annotationem: *Etiam tu hoc respondes] deest annon* ita comparatam esse ipse Bentleius fatetur, ut qui haec scripserit *respondes* legerit. Eodem ducit nota *Etiam aut hortatio est aut coniunctio,* quam Bentleius in contrariam partem valere falso opinatur. Quis enim qui in Terentii illa locutione imperativum deprehendit dubitare potuerit, quin *etiam* sit hortationis adverbium? Incertus utrum hortationis an coniunctionis vice ea particula fungeretur is demum haerere potuit, qui eam cum indicativo coniunctam vidit. Non autem caremus exemplis ubi *etiam* particulam, si hortandi vis inest, indicativus modus excipit. Talia sunt Plaut. Trin. 113: *Etiam tu taces?* Most 383: *Etiam vigilas?* Terentii Heaut. II, 2, 6:

Etiám caves ne videat forte hic te á patre aliquis [éxiens

quibus accedit Adelph. IV. 311:

Clit. *'Obsecro vide ne ille huc prorsus se irruat* Syr. *Etiám taces,*
'Ego cavébo.

ubi Donatus: *Etiam taces] antique pro tace, sic in Andria: Etiam tu hoc respondes* pro *responde.* Nulla igitur caussa est, cur hanc loquendi rationem cum Bentleio ex Terentio eiiciamus.

Versu nono Bentleius *mihi* scripsit pro *mihine*, mutationis caussa non addita. Quare monuisse sat habeo, librorum scripturam bis apud Priscianum inveniri, qui I, pag.

643 ed. Krehl. ait: *Inuenitur ergo pro expletiua, ut Terentius in Andria: Mihine? Tibi ergo.* Similiter II, 232. *Nostri quoque frequenter ergo expletivi loco accipiunt. Terentius in Andria; Mihine?* Tibi ergo.

Ab Andr. V, 3 v. 7:

Víde num éius color pudóris signum usquam índicat

Faernus *vide* removit, quippe quod Donatus lemmate non haberet. Cui versus formae aliquid deesse Bentleius recte coniiciens atque *vide* voculam alienae manus esse ratus sic scripsit:

Numnam éius color pudóris signum usquam [índicat.

Haud mala coniectura ad versum sustentandum, ad sententiam non item. *Vide* enim stomachantibus apprime convenire apparet ex Eun. IV, 4, 3 *Illud vide os ut sibi distorsit carnufex.* Eun. V, 1, 22: *Vide amabo, si non cum aspicias os impudens videtur.* Eun. V, 3, 19: *Vide ut otiosus it, si Dis placet* (cf. Ib. V, 1, 4; Hec, II, 1, 26; Phor. II, 3, 11; V, 7, 93) Quod si Simonis illud *vide* suapte natura se commendat, omnem mutandi caussam aufert Donati nota in Ad. IV, 4, 9, ubi integrum versum servat. Dicit enim: *Erubuit, salva res est] Nimis paterna sententia. Et e contrario Simo in Andria:*

Vide num eius color pudoris signum usquam [indicat.

Heaut. I, 1, vss. 10 et 11 Bentleus sic edidit:

Quid quáeris? Annos séxaginta nátus es,
Aut *plús ut* conicio

quam scripturam amplexi sunt Bernhardyus (Grundriss der Röm. Litt. pag. 377) et Meinekius (fragm. com. Graec. ed. min. pag. 894.) Sed Terentiani libri praebent: *aut plus eo ut conicio,* cui scripturae neque metrum neque sententia repugnat. *Eo* enim quemadmodum alibi pro una syllaba

est sic nihil impedit, quominus ante vocalem pro nulla sit (cf. Ritschl proleg. 154.) In loquendi autem ratione ne offendas vetat gemellus Hec. III, 4 vs. 7:

Diés triginta aut plús eo in naví fui,

unde *eo* versus caussa abesse non potest. Atque ibi Donatus: *Eo absolute ut alibi: Annos sexaginta natus es aut plus eo ut coniicio.* —

Consistam in his exemplis quae documento sint, quam parum Bentleius nonnunquam caverit ne in idem vitium incideret quod optimo suo iure in veteribus magistris saepe reprehendit, quibus germanas poetae scripturas sine ulla caussa oblitterandi nulla religio fuerit.

Errata.

Praeter leviora nonnulla, quae quivis lector benevolus facile corrigat, in pag. 20 vs. a fine 5 ante *constitisse* verbum *non* omissum est.

Vita scriptoris.

Vesaliae natus sum Alexander Luodovicus Guilelmus Richter anno huius saeculi vigesimo primo patre Francisco Jacobo, matre adhuc viva Maria Elisabetha e gente Monjé. Decimum annum agens adii patriae urbis gymnasium, quod tum direxit Luodovicus Bischoff, vir optime de me meritus. Ineunte huius saeculi anno quadragesimo secundo maturitatis testimonio munitus Bonnam me contuli civibusque academicis qui adscriberer nomen dedi. Sacris litteris per unum semestre non ita sedulo operam navavi, deinde philologiae studiis totum me dedi. Per triennium interesse mihi licuit Welckeri V. Cl., per quadriennium Ritschelii V. Cl. scholis et seminario philologico, cuius sodalis ordinarius per biennium eram.

Egregiae illi institutioni praesertim debeo disciplinam, qua per hos septem annos in instituenda iuventute aliquo cum fructu usus sum. Praeter summos illos viros disserentes audivi Arndtium, Brandisium, Calkerum, Dahlmannum, Loebellium, Nassium, Nitzschium, Schlegelium, Schopenum, quorum praeceptorum memoriam pie recolendam nunquam apud me intermori patiar.

Quadriennio peracto per quinque semestria scholasticis officiis apud peregrinos praesertim in hac urbi functus sum. Postea in Britanniam abii, ibique paedagogi provinciam cepi. Unde post octodecim menses redux Hagenae Guestphalicae item instituendis adulescentibus Britannis operam navavi, donec univ e

Borussorum exercitu ante hos tres annos evocato, Blumius V. Cl. cuius auspiciis Gymnasium Vesaliense nunc floret auctor mihi fuit gravissimus, ut in tanta praeceptorum penuria patriae iuventutis institutioni me dederem. Neque defui saluberrimo illi consilio, patriaeque urbis masculam iuventutem in gymnasio, femineam in puellarum ludo per biennium erudivi. Sed diu atque aegre legitimam docendi facultatem desiderabam, quare ut philologiae studiis denuo vacarem, Halas me contuli Saxonicas, ubi inter cives academicos receptus praeter Leonem audivi Bernhardyum et Meyerum. His viris multum debeo; multum praeterea Henrici Keilii institutioni familiarique consuetudini. Ineunte prioris anni vere Bonnam redux ad haec dissertationem accessi, auctore Ritschelio fautore Blumio; quibus duumviris studiorum meorum promotoribus praeter ceteros benevolis imprimis gratias semper habebo summas.

Theses controversae.

1. *Ratio plus valet quam librorum auctoritas.*

2. *Ter. Eun. IV, 1, 8 sic emendo:*
'Invitare trístis: illa cum íllo sermonem óccipit

3. *Hec. prol. I, vos 1 et 2 sic distinguo:*
Hecyra ést huic nomen fábulae. Haec cúm data
Est nóva novum intervénit vitium et cálamitas.

4. *In Phor. I, 4 vs. 17: ah sanunes subditicium est.*

5. *Donatus Hecyrae II, 3 vs. 1 scenae indolem perstringit his: „Laches generaliter incusavit socrus; haec plurimas defendit. Caussa accusationis iniquae, non enim omnes sumus malae.“ Pro iniquae repono: iniqua est.*

6. *Scholii Eun. III, 1 vs. 12 adscripti species haec est: Magis irridebis si consideres, militem notum (al. libri motum) esse, qui.* Scribo: Magis irridebis, si consideres militem ignotum esse, cui crederet omnem exercitum et consilia.*

7. *Erratum est in lemmate Ad. III, 2 vs. 44 praeposito. Praeponenda sunt Sostratae verba: Ah minime gentium.*

8. *Qui in Menandri monostichis (cf. Meineke fragm. com. graec. ed. min. pag. 1041) fertur versus primus:*
Ἄνθρωπον ὄντα δεῖ φρονεῖν τἀνθρώπινα
est Terentianae Heaut. I, 1, vs. 25:
Homó sum, humani níhil a me alienúm puto.

9. *Quae in Donati commentariis notantur Terentianae Adelphon I, 2, 1; II, 4, 11; III, 2, 53 a Menandriae cognominis fabulae versibus discrepantiae: primo versu ad unius vocabuli omissionem; Secundo ad unius mutationem pertinent; tertio discrepantia nulla est.*

10. *Recte sentiunt qui in scholis pronunciationem ad naturalem vocalium prosodiam dirigi volunt.*

11. *Ad linguae latinae prosodiam cognoscendam plurimum confert versuum compositio.*

12. *Peregrinorum loquendi rationem qui pueris explicat a simillimo quoque quod vernacula suppeditat proficisci debet.*

13. *Difficilior est puellarum quam puerorum institutio.*

14. *Nullus olim latius quam Britannorum sermo per orbem terraram erit diffusus.*